



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 4. Cur noxia animalia condiderit Deus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

eundem lingere. Ipse interim anxie eos respiciens horam prestolabatur, quâ impetu facto ingrederentur speluncam, ad se deuorandum. At ubi illi aliquandiu lapidem linxissent, regressi sunt, eâdem, qua venerant, viâ, in sua antra. Summas igitur Deo agit gratias, qui tali eum metu liberasset, dormiuitq; nonnihil, per noctis reliquum, absq; cibo diem sequentem transiens, nihilque, præter candorem nivis terram latè operientis, & lucem cœli videns. Secundâ & tertiâ nocte, horâ eâdem, reuersi serpentes fecerunt similiter, & abierunt. Tum demum credidit naturales serpentes, sed mirabatur, quidnam ita lapidem lingerent. Iam penè viribus destituto incidit cogitatio, quòd fortè animalia illa ostenderent, quid sibi faciendum esset; in sua necessitate; tûmq; ad lapidem accedens cœpit eundem similiter lingere, & ecce (res stupenda) inter lingēdum, ita fuit restitutus quasi cibo refectus. Tali itaq; modo, totâ hyeme, sub rupe, latitans contra frigus & famem se defendebat, donec, in fine Aprilis, nîve solutâ, per uis iam factis alpibus, quosdam audiret in vicino colloquentes, iisque se comitem præbuit ad peregrinationem suam cõplendam. Hæc Richeomus.

§. IV.

Cur noxia animalia condiderit Deus?

Ergo,

Ergo, si vult Deus, serpentes, quos in aliorum supplicia immisit, in auxilia immit- tit aliorum. Nullius igitur temeritas accu- sare debet Mundi Conditorum, quòd noxia animalia creârit, quemadmodum Manichæ⁹ quidam, apud D. Augustinum, simplici cui- dam Catholico, Deum malum esse, persua- sit, quòd muscas, quas ille tunc infestas pa- tiebatur, condidisset. Hunc errorem fusè impugnat S. Chrysostomus, S. Edmundus, S. Damascenus, Philo, & alij. Nemesij sunt ista: *Si aliqua sunt, quæ fructus non ferant, contrarij, perniciem homini important, sciendum est, cum quæ ad hominum usus valent, primario loco creata essent, tum cetera omnia, quæ natura ferebat, esse condita; ut ne res vlla, quæ fieri pos- set, ab hoc opificio abesset. Quanquam ne ista quidem planè eiusmodi sunt, ut nullam ex ijs homo utilitatem capiat. Nam etiam venenata bestia emolumentum illi faciunt, propterea quòd eis ad curanda vulnera ab illis ipsis illata, cete- rosque morbos sanandos abutitur. Tales sunt theriaca quedam compositiones, quæ vocantur, quas ratio excogitavit, ut per eas etiam illis do- minaretur, & velut à devictis hostibus commo- dum perciperet. Sed habet homo infinitas vires bis contrarias à Deo acceptas, quibus arcere, &*

S. Augu-
stin. tract.
1 in Ioan.
S. Chrysi-
hom. 12.
ad pop. S.
Edm. in
Speculo
Eccl. c. 6.
tom. 3. Bi-
blioth.
Damas-
cenus 2.
Fid. c. 108
Phil. lib.
de Pro-
vid. Ne-
mesius l.
de homi-
ne. cap 16

ulcisci, & corrigere eorum injurias possit. Alia enim alios usus habent, communiter tamen omnia ad hominis commoditatem natura conferunt, etiam illa, quorum alioqui nulla utilitas

Lactant.
lib. de Ira.
cap. 13.

appareat. Lactantius proposita hac Stoicorum, ut ait, responsione: *Quod nihil sit, cuius non sit aliqua utilitas, tamen si occulta plerumque lateat, & ideo purgari Deum à calumnia, ex rerum noxiarum productione ipsi illata,* scribit, hanc responsionem esse ineptam, & respondendum potius fuisse, istiusmodi mala facta fuisse, ut homo haberet, in quo datam sibi sapientiam & rationem exerceret. Est quidem hæc aliqua etiam ratio, sed tamen neque Stoicorum responsio est rejicienda, quàm tot SS. PP. & ipsæ experientiæ approbaverunt. Certè documenta & medicamenta ab eiusmodi bestiis habemus. Si Scorpij malum est venenum, est & oleum Scorpij bonum. Quin idem Scorpius dum fauciat, sanat, si, in ipso ictu, vulneri facto

Deut. 32.
37.

interatur. Certè qui dixit: *Dentes bestiarum immittam in eos: cum furore trahentium super terram atque serpentium;* idem etiam dixit:

Psal. 90.
13

*Super aspidem & basiliscum ambulabis:
& conculcabis leonem & dra-*

gonem.

§. V.

Inaudita leonum ac luporum obedientia.

De dracone victo & contemptim interfecto, historia Danielis Prophetæ loquitur. Et de serpentibus, paulo supra docui. Idem etiam Daniel, inter famelicorum leonum rictus, in lacu, illæsus mansit. Abbas Sergius leoni, in via jacenti, panem porrexit, & recedere, iussit, ut iumenta salva transire possent. Accepit leo panem & mandatum. Simonidem quoque Monachum, scribit Theodoretus, viatoribus in viam reducendis duos leones, è nemore aduolantes attribuisse, qui eos non deseruerunt, donec rectum denuò iter tenerent. Narrat Hugo Præmonstratensis Abbas, Norbertum Archiepiscopum Magdeburgensem, cuidam puero ouium pastori petenti, in gregis custodiam, sibi canem dari, respondisse: *Cum lupus aduenerit, rapueritque, ex grege aliquid, iubeto ei, nostro nomine, ne quid attingat.* Felix simplicitas pueri fuit. Paruit Norberto; ob quod, etiam lupus paruit puero. Iam lupus in gregem irruptionem fecerat, iam ouem ore arreptam, asportauerat, cū puer præcepti memor cursu prædonem persequi & clamare imperiosissimè cœpit, ut domini ouem dimitteret,

Supra n.
2. & 3.
Dan. 14.
Io. Eui-
rat. in
prat. Spir.
cap. 125.

Theodo-
ret. in
hist. Re-
lig. cap. 6.
Hugo
Præmon-
str. in vita
Norberti
cap. 73.